



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 130. Fœdus Gallos inter & Helvetios.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](#)

ea nonnisi calumnias esse ad eorum exi- Sæc. XVI.  
tium adinventas. Verum omnes hæ a- A.C 1549.  
pologiæ haud quaquam ipsis tranquilli-  
tatem procurabant, sed eorum differen-  
tias, quas cum Cæsare fovebant,  
longo adhuc tempore protrahebantur.

§. CXXX.

*Fædus Gallos inter, & Helvetios.*

Præterea pia Cæsar's studia plurimum Sleidan. &  
turbabantur fœdere Gallos inter, Thuan. l. c.  
& Helvetios inito; cum enim Imper. Belcar. com.  
rator novam armorum societatem inter  
ambas hasce Nationes agitari percepis-  
set, nullum non movit lapidem, ut hoc  
consilium penitus everteret: verum haud  
amplius efficere poterat, nisi quod Ti-  
gurini, ac Bernenses huic fœderi acce-  
dere renuerent, ceteri autem Helvetio-  
rum Pagi sese Gallis jungebant, mox-  
que Regis nomine Jacobus Menagius  
Gagneus libellorum supplicum Præfe-  
ctus, ac Guilielmus Plessius Liancurtius  
ab Henrico II. deputati hujus fœderis  
articulis subscripserunt: pro Helvetiis  
autem Valesii, ac Mulhusani Pagorum  
Deputati præter tres Rhætorum Tri-  
bus in has tandem conditiones conve-  
nerunt: I. *Fædus cum Francisco I. ini-*  
*tum, quamdiu Henricus viveret, & in quin-*  
*quennium post ejus mortem, cum Henrici*  
*hare-*

Sæcul. XVI. hæredibus servetur. II. Mutua auxilia u-  
A.C. 1549. trinque præsentur. III. Regi quidem ab  
 Helvetiis omnium suorum dominiorum tam  
 ultra, quam citra alpes conservandorum  
 cauſa, seu quoquo modo pro iis bellum ge-  
 retur, tam quæ modo obtinet, quam quæ  
 olim a Patre poſſeſſa in Italia poſtea armis  
 recuperaturus eſt, non minus ſex millibus  
 equitum, neque plus quam ſexdecim millia  
 peditum, niſi de iſorum conſenſu ſubmini-  
 ſtrabuntur, quibus in ſingulos menses ſtipen-  
 dia, uti conuenit, perſolvantur. IV. Fæ-  
 deris legibus excipiantur a Rege Pontifex,  
 ac Sedes Romana, ſanctum Imperium, Lu-  
 ſitanorum, Scotorum, Daniæ, Poloniæ,  
 ac Sueciæ Reges, Senatus Venetus, Lota-  
 ringiæ, ac Ferrariæ Duces, contra quos  
 auxilia mittere non teneatur. V. Ab Hel-  
 vetiis item excipiuntur Pontifex, Romana  
 Sedes, Purpuratorum Collegium, ſanctum  
 Imperium, Domus Austria, & Burgun-  
 dica juxta antiquam cum iis contradam fæ-  
 derationem, Florentinorum etiam Republi-  
 ca, & Medicæa domus. VI. Contra An-  
 glum auxilia pro Bononiæ, & agri vicini  
 recuperatione promittant.

Hæc pacta Soloturni in Helvetia die  
 ſeptimo, vel duodecimo Junii firmata pa-  
 riter a Galliarum Rege die ſexta Octo-  
 bris rata habebantur.

### §. CXXXI.